



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1479. usque ad annum 1494

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118340

§. 101. Zizimus a multis Principibus expetitus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66444](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66444)

nere penitus exhauriretur; præterea Clericis, cum suorum beneficiorum redditus ægre admodum, & nonnisi post longas moras perciperent, novum hoc onus nimis graviter accideret, si insuper eis decimæ imponerentur, tandem his verbis sermonem suum conclusit Præses: Senatus æquitatis legibus obstringitur, ut, si forte Clerici de ejusmodi oneribus ad illum querelas deferant, eos audiat, eisque justitiam administret. Adeo prævalere hæc rationum momenta, ut hac causa penitus neglecta, Clerus ab hisce molestiis omnino exemptus permaneret.

Sæcul. XV.
A. C. 1489.

§. Cl.

Zizimus a multis Principibus expetitus.

Affiduis juxta ac fervidis precibus Innocentius Papa supremum Rhodi Magistrum urgebat, ut Zizimum Bajazethis Turcarum Imperatoris fratrem Romam perduceret. Degebat is interim Burgonovii in ædibus Ordinis Teutonici ad fines Pictavii ac Marchiæ, ab Equitibus Rhodiis perhonorifice custoditus: Eundem quoque infelicem Principem, ut ad suas ditiones pertraherent, Hungariæ, & utriusque Siciliæ Reges nil inausum, intentatumque relinquebant. Haud segniore studio Ægypti Sultanus Zizimum sibi

Addit. ad
Cincon. in
Innoc. VIII.

sibi

Sæcul. XV.
A C. 1489
sibi concedi efflagitabat, quem copiis suis adversus Bajazethem præficere meditabatur. Verum magnus Rhodiorum Magister neutri horum Zizimum tradendum statuit, ratus, potiori nomine summi Pontificis voto cedendum esse; quapropter Carolum VIII. datis literis rogabat, ut ei Zizimum ex Galliis, ubi tum agebat, evocandi facultatem concederet. Ipse etiam Pontifex Regi, ut consensu suo accederet, legatione decreta supplicabat. Jamjam Carolus in eo erat, ut Zizimum in Italiam transferri permitteret; ast ecce! adveniebat Legatus a Bajazethe missus, qui Zizimum in Galliis retineri, nec aliis Principibus tradi petebat.

§. CII.

Bajazethis legatio ad Galliarum Regem in causa Zizimi.

*Sac. Bosius
Hist. Rhod.
tom. 2. l. 14.
Faligny
hist. Carol.
VIII.*

Bajazethis Oratorem comitabatur alius Regis Neapolitani Legatus, qui Turcarum Imperatoris nomine Carolo omnes sacras obtulit reliquias, quas Mahometes Constantinopoli, atque in aliis Europæ & Asiæ urbibus reperisset; insuper pollicebatur, redditurum se omnes civitates Christianis ereptas, necnon omnem navaturum operam, ut Terram sanctam ac Regnum Jerosolymitanum, ex Ægypti Sultani manibus, in cujus potestate